TERTIA PARS
ET
SUPPLEMENTUM
De DEO Incarnato & Sacramentorum Authore.

POſtquam Doctor Angelicus in præcedentibus Partibus Deum unum & trinum, deinde actus, quibus ad eum pervenitur, tam in genere quàm in ſpecie conſideraverat, in hâc 3tiâ Parte, quam morte præventus abſolvere nequivit, quæ propterea ex ſcripto ipſius in libros ſententiarum completa eſt, unde Supplementum dicitur, quod in materia de Contritione incipit, Chriſtum Salvatorem noſtrum & beneficia per eum humano generi præſtita, inter quæ Sacramenta per eum inſtituta primum locum obtinent, expendit, cujus veſtigiis inhærentes ſervato facultatis ordine primò myſterium Incarnationis Dominicæ, deinde Sacramenta tam in genere quàm in ſpecie, demum aliqua quæ ad conſummationem ſæculi ac ſtatum poſt hanc vitam pertinent juxta inconcuſſa ejuſdem S. Doctoris principia pertractabimus.